

## S. MELITO Sardianus († ante 190)

## HOMILIA PASCHALIS

SC  
123, 98

Οὗτός ἐστιν ὁ ἐν παρθένῳ σαρκωθείς [...]

23

Οὗτός ἐστιν ὁ ἀμνὸς ὁ ἄφωνος.

Οὗτός ἐστιν ὁ ἀμνὸς φονευόμενος.

Οὗτός ἐστιν ὁ τεχθεὶς ἐκ Μαρίας τῆς καλῆς ἀμνάδος.

Ille est qui in Virgine incarnatus est [...]

23

Ille est agnus vocis expers,

ille est agnus iugulatus,

ille est qui natus est ex Maria, agna pulchra.

## FRAGMENTA

Ex tractatu *De anima et corpore*SC  
123, 236  
\*238

XIII. Propterea pater misit filium suum e coelo sine corpore, 24

\* ut, postquam incarnatus esset in utero virginis et natus esset homo,  
vivificaret hominem et colligeret membra eius, quae mors disper-  
serat, quum hominem divideret.Ex tractatu *De cruce*SC  
123, 238  
\*240

XIV. Propter haec venit ad nos, propter haec, quum sit incor- 25

poreus, corpus ex formatione nostra texuit sibi. Qui \* agnus visus  
est, pastor mansit; qui servus reputatus est, dignitatem filii non  
denegabit: a Maria portatus et Patre suo indutus.

## S. IRENAEUS Lugdunensis M. (ca 140 † 202)

## ADVERSUS HAERESSES

PG  
7, 549Lib. I, cap. X, 1. Ἡ μὲν γὰρ Ἐκκλησίᾳ, καίπερ καθ' ὅλης τῆς οἰκου- 26  
μένης ἔως περάτων τῆς γῆς διεσπαρμένη, παρὰ τὲ τῶν Ἀποστόλων, καὶ τῶν  
ἐκείνων μαθητῶν παραλαβοῦσα τὴν εἰς ἔνα Θεόν, Πατέρα παντοκράτορα, « τὸνPG  
7, 550Lib. I, cap. X, 1. Ecclesia enim per universum orbem usque ad 26  
fines terrae seminata, et ab apostolis et a discipulis eorum accepit  
eam fidem, quae est in unum Deum, Patrem omnipotentem, *qui*

● SO 123, 124, 242.

ABERCI (S.) Episcopi (saec. II) inscriptio habet verbum παρθένος. Ex con-  
textu vero videtur illud tribuendum esse Ecclesiae potius quam Mariae.  
Cf. A. FERRUA, in EnC I, 69-72.

πεποιηκότα τὸν οὐρανόν, καὶ τὴν γῆν, καὶ τὰς θαλάσσας, καὶ πάντα τὰ ἐν αὐτοῖς», πίστιν· καὶ εἰς ἓν Χριστὸν Ἰησοῦν, τὸν Γέλον τοῦ Θεοῦ, τὸν σωρκωθέντα ὑπὲρ τῆς ἡμετέρας σωτηρίας· καὶ εἰς Πνεῦμα ἄγιον, τὸ διὰ τῶν Προφητῶν κεχηρυχός τὰς οἰκουμείας, καὶ τὰς ἔλευσις, καὶ τὴν ἐκ Παρθένου γέννησιν, καὶ τὸ πάθος, καὶ τὴν ἔγερσιν ἐκ νεκρῶν, καὶ τὴν ἐνσαρκον εἰς τοὺς οὐρανοὺς ἀνάληψιν τοῦ ἡγαπημένου Χριστοῦ Ἰησοῦ τοῦ Κυρίου ἡμῶν, καὶ τὴν ἐκ τῶν οὐρανῶν ἐν τῇ δόξῃ τοῦ Πατρὸς παρουσίαν αὐτοῦ, ἐπὶ τὸ «ἀνακεφαλαιώσασθαι τὰ πάντα».

*fecit caelum et terram, et mare, et omnia quae in eis sunt:*<sup>1</sup> et in unum Iesum Christum Filium Dei, incarnatum pro nostra salute: et in Spiritum sanctum, qui per prophetas praedicavit dispositiones Dei, et adventum, et eam, quae est ex Virgine, generationem, et passionem, et resurrectionem a mortuis, et in carne in caelos ascensionem dilecti Iesu Christi Domini nostri, et de caelis in gloria Patris adventum eius, ad *recapitulanda universa.*<sup>2</sup>

27 Cap. XXVI, 1. Et Cerinthus autem quidam in Asia, non a primo Deo factum esse mundum docuit, sed a Virtute quadam valde separata, et distante ab ea principalitate, quae est super universa, et ignorantem eum, qui est super omnia, Deum. Iesum autem subiecit, non ex Virgine natum (impossibile enim hoc ei visum est); fuisse autem Ioseph et Mariae filium similiter ut reliqui omnes homines, et plus potuisse iustitia et prudentia, et sapientia ab hominibus. Et post baptismum descendisse in eum, ab ea principalitate quae est super omnia, Christum figura columbae; et tunc annuntiassse incognitum Patrem, et virtutes perfecisse: in fine autem revolasse iterum Christum de Iesu, et Iesum passum esse, et resurrexisse; Christum autem impassibilem perseverasse, exsistentem spiritalem.

PG  
7, 686

28 Lib. III, cap. V, 1. [...] David eam, quae est ex Virgine, generationem eius, et eam, quae est ex mortuis, resurrectionem prophetans, ait: *Veritas de terra orta est.*<sup>3</sup>

PG  
7, 858

29 Cap. IX, 2. [...] *Ecce Virgo in utero accipiet, et pariet filium, et vocabunt nomen eius Emmanuel, quod est interpretatum, Nobiscum Deus.*<sup>4</sup> De hoc, qui est ex Virgine Emmanuel, dixit David: *Non avertas faciem Christi tui. Iuravit Dominus David veritatem, et non spernet eum, de fructu ventris tui ponam super sedem tuam.*<sup>5</sup> Et ite-

PG  
7, 870

<sup>1</sup> Ps. CXLV, 6; Act. IV, 24 et XIV, 14.

<sup>2</sup> Ephes. I, 10.

<sup>3</sup> Ps. LXXXIV, 12.

<sup>4</sup> Matth. I, 23.

<sup>5</sup> Ps. CXXXI, 10-11.

rum: *Notus in Iudaea Deus, et factus est in pace locus eius, et habitaculum eius in Sion.*<sup>1</sup> Unus igitur et idem Deus, qui a prophetis praedicatus est, et ab Evangelio annuntiatur, et huius Filius qui ex fructu ventris David, id est ex David Virgine, et Emmanuel.

PG  
7, 873

30

Cap. X, 2. Et iterum de angelo referens ait: *In ipso autem tempore missus est angelus Gabriel a Deo, qui et dixit Virgini: Noli timere, Maria, invenisti enim gratiam apud Deum.*<sup>2</sup> Et de Domino dicit: *Hic erit magnus, et filius Altissimi vocabitur, et dabit ei Dominus Deus thronum David, patris sui, et regnabit in domo Iacob in aeternum, et regni eius non erit finis.*<sup>3</sup> Quis est autem alius, qui regnat in domo Iacob sine intermissione in aeternum, nisi Christus Iesus Dominus noster, Filius Dei altissimi, qui per legem et prophetas promisit salutarem suum facturum se omni carni visibilem, ut fieret filius hominis, ad hoc ut et homo fieret Filius Dei? Propter quod et exsultans Maria, clamabat pro Ecclesia prophetans: *Magnificat anima mea Dominum, et exsultavit spiritus meus in Deo salutari meo. Assumpsit enim Israel puerum suum, reminisci misericordiae: quemadmodum locutus est ad patres nostros, Abrahae et semini eius in aeternum.*<sup>4</sup>

PG  
7, 881

31

Cap. XI, 3. Secundum autem illos, neque Verbum caro factum est, neque Christus, neque qui ex omnibus factus est, Salvator. Etenim Verbum et Christum nec advenisse in hunc mundum volunt: Salvatorem vero non incarnatum, neque passum; descendisse autem quasi columbam in eum Iesum, qui factus esset ex dispositione, et cum annuntiasset incognitum Patrem, iterum ascendisse in Pleroma. Incarnatum autem et passum quidam quidem eum, qui ex dispositione sit, dicunt Iesum, quem per Mariam dicunt pertransisse, quasi aquam per tubum; alii vero Demiurgi filium, in quem descendisse eum Iesum, qui ex dispositione sit: alii rursum Iesum quidem ex Ioseph et Maria natum dicunt, et in hunc descendisse Christum, qui de superioribus \* sit, sine carne et impassibilem exsistentem. Secundum autem nullam sententiam haereticorum, Verbum Dei caro factum est. Si enim quis regulas ipsorum omnium perscrutetur, inveniet quoniam sine carne, et impassibilis ab omnibus illis inducitur Dei Verbum, et qui est in superioribus Christus. Alii enim putant manifestatum eum, quemadmodum hominem transfiguratum; neque autem natum, neque incarnatum dicunt illum; alii vero neque figu-

\*882

<sup>1</sup> Ps. LXXV, 2, 3.<sup>2</sup> Le. I, 26, 30.<sup>3</sup> Le. I, 32.<sup>4</sup> Le. I, 46, 54, 55.

ram eum assumpsisse hominis; sed quemadmodum columbam descendisse in eum Iesum, qui natus est ex Maria. Omnes igitur illos falsos testes ostendens discipulus Domini, ait: *Et Verbum caro factum est, et inhabitavit in nobis.*<sup>1</sup>

32 Cap. XII, 7. [...] Ex verbis autem Petri manifestum est, quoniam praecognitum quidem eis Deum custodivit; Filium autem Dei Iesum Christum esse testificatus est ipsis, iudicem vivorum et mortuorum, in quem et baptizari eos iussit in remissionem peccatorum: et non tantum hoc, sed et Iesum ipsum esse Filium Dei testificatus est, qui et unctus Spiritu sancto, Iesus Christus dicitur. Et est hic idem ex Maria natus, quemadmodum Petri continet testificatio.

PG  
7, 901

33 Cap. XVI, 2. [...] Matthaeus unum et eumdem Iesum Christum cognoscens, eam quae est secundum hominem generationem eius ex Virgine exponens, sicut promisit Deus David,<sup>2</sup> ex fructu ventris eius excitaturum se aeternum Regem, multo prius Abrahae eamdem faciens promissionem, ait: *Liber generationis Iesu Christi, filii David, filii Abraham.*<sup>3</sup> Dehinc ut liberaret mentem nostram a suspicione, quae est circa Ioseph, ait: *Christi autem generatio sic erat. Cum esset despota mater eius Ioseph, priusquam convenienter, inventa est in utero habens de Spiritu sancto.*<sup>4</sup> Dehinc cum Ioseph cogitaret dimittere Mariam, quoniam praegnans erat, assistentem ei angelum Dei, dicentem: <sup>5</sup> *Ne timueris assumere Mariam coniugem tuam: quod enim habet in utero, de Spiritu sancto est. Pariet autem filium, et vocabis nomen eius Iesum: hic enim salvabit populum suum a peccatis suis. Hoc autem factum est, ut impleretur quod dictum est a Domino per prophetam:*<sup>6</sup> *Eece, virgo accipiet in utero, et pariet filium, et vocabunt nomen eius Emmanuel, quod est, Nobiscum Deus;* manifeste significans, et eam promissionem, quae fuerat ad patres, impletam, ex virgine natum Filium Dei, et hunc ipsum esse Salvatorem Christum, quem prophetae praedicaverunt: non, sicut ipsi dicunt, Iesum quidem ipsum esse, qui ex Maria sit natus, Christum vero qui desuper descendit. Caeterum potuerat dicere Matthaeus: «Iesu vero generatio sic erat», sed praevidentis Spiritus sanctus depravatores, et praemuniens contra fraudulentiam eorum, per Matthaeum ait: *Christi autem generatio sic erat;* et quoniam hic est

<sup>1</sup> Io. I, 10.<sup>2</sup> Ps. CXXXI, 2.<sup>3</sup> Matth. I, 1.<sup>4</sup> Matth. I, 18 ss.<sup>5</sup> Matth. I, 20 ss.<sup>6</sup> Isa. VII, 14.PG  
7, 921

<sup>\*922</sup> *Emmanuel, ne forte tantum eum hominem putaremus (non enim ex voluntate carnis, neque ex voluntate \* viri, sed ex voluntate Dei, Verbum caro factum est)*<sup>1</sup> neque alium quidem Iesum, alterum autem Christum suspicaremur fuisse, sed unum et eundem sciremus esse.

3. Hoc ipsum interpretatus est Paulus, scribens ad Romanos: <sup>2</sup> *Paulus apostolus Iesu Christi, praedestinatus in Evangelium Dei, quod promisit per prophetas suos in Scripturis sanctis de Filio suo, qui factus est ei ex semine David secundum carnem, qui praedestinatus est Filius Dei in virtute, per Spiritum sanctificationis ex resurrectione mortuorum, Iesu Christi Domini nostri.* Et iterum ad Romanos scribens de Israel, dicit: <sup>3</sup> *Quorum patres, et ex quibus Christus secundum carnem, qui est Deus super omnes benedictus in saecula.* Et iterum in Epistola quae est ad Galatas, ait: <sup>4</sup> *Cum autem venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum, factum ex muliere, factum sub lege, ut eos qui sub lege erant redimeret, ut adoptionem percipiamus;* manifeste significans unum quidem Deum, qui per prophetas promissionem de Filio fecerit; unum autem Iesum Christum Dominum nostrum, qui de semine David secundum eam generationem, quae est ex Maria; hunc destinatum Filium Dei Iesum Christum in virtute secundum Spiritum sanctitatis, ex resurrectione mortuorum, ut sit primogenitus mortuorum, quemadmodum et primogenitus in omni conditione; Filius Dei, hominis filius factus, ut per eum adoptionem percipiamus, portante homine, et capiente, et complectente Filium Dei. Propter hoc et Marcus ait: <sup>5</sup> *Initium Evangelii Iesu Christi Filii Dei, quemadmodum scriptum est in prophetis;* unum et eundem sciens Filium Dei Iesum Christum, qui a prophetis annuntiatus est <sup>6</sup> qui ex fructu ventris David Emmanuel, magni consilii Patris nuntius, per quem oriri fecit Deus domui David Orientem et iustum,<sup>7</sup> et erexit ei cornu salutis, et suscitavit testimonium in Iacob, quemadmodum David causas \* generationis eius disserens ait, et legem posuit in Israel, ut cognoscat generatio altera: filii qui nascentur ex his, et ipsi exsurgententes enarrabunt filiis suis, ut ponant in Deum spem suam, et praecepta eius exquirant.<sup>8</sup> Et rursus angelus evangelizans Mariae, ait: <sup>9</sup> *Hic erit magnus, et Filius Altis-*

<sup>1</sup> Io. I, 13-14.

<sup>2</sup> Rom. I, 1 ss.

<sup>3</sup> Rom. IX, 5.

<sup>4</sup> Galat. IV, 4-5.

<sup>5</sup> Marc. I, 1.

<sup>6</sup> Isa. IX, 6; Ier. XXXIII, 15

<sup>7</sup> Le. I, 69.

<sup>8</sup> Ps. LXXVII, 5, 6, 7.

<sup>9</sup> Le. I, 32.

*simi vocabitur, et dabit ei Dominus thronum David patris sui; eum qui sit Filius Altissimi, hunc eumdem et David filium confitens. Cuius et David dispositionem adventus per Spiritum cognoscens, per quam dominans est omnium vivorum et mortuorum, Dominum eum confessus est, sedentem ad dextram Patris altissimi.<sup>1</sup>*

4. Et Simeon autem ille, qui responsum acceperat a Spiritu sancto, non visurum eum mortem, nisi prius videret Christum Iesum, hunc manibus accipiens Virginis primogenitum, benedixit Deum, et dixit: <sup>2</sup> *Nunc dimittis servum tuum, Domine, secundum verbum tuum in pace: quia viderunt oculi mei salutare tuum: quod parasti ante faciem omnium populorum, lumen ad revelationem gentium, et gloriam populi tui Israel;* infantem, quem in manibus portabat Iesum, natum ex Maria, ipsum confitens esse Christum Filium Dei, lumen hominum, et gloriam ipsius Israel, et pacem et refrigerium eorum qui in dormitionem ierunt. Iam enim spoliabat homines, auferens ignorantiam ipsorum, suam autem agnitionem eis donans, et dispartitionem faciens eorum qui cognoscebant eum, quemadmodum Isaías: *Voca, inquit, nomen eius, velociter spolia, celeriter dispartire.*<sup>3</sup> Haec sunt autem opera Christi. Ipse igitur erat Christus, quem portans Simeon benedicebat Altissimum; quem pastores cum vidissent, glorificabant Deum; quem Ioannes, cum adhuc in ventre matris suae esset, et ille in vulva Mariae, Dominum cognoscens, exultans salutabat; quem magi videntes, et adorantes, et afferentes munera, quae praediximus \* et substernentes semetipsos aeterno Regi, per alteram abierant viam, non iam per Assyriorum revertentes viam. *Priusquam enim cognoscet puer vocare patrem, aut matrem, accipiet virtutem Damasci, et spolia Samariae, contra regem Assyriorum;*<sup>4</sup> occulte quidem, sed potenter manifestans, quoniam absconsa manu expugnabat Dominus Amalech. Propter hoc et pueros eripiebat, qui erant in domo David, bene sortiti illo tempore nasci, ut eos praemitteret in suum regnum; ipse infans cum esset, infantes hominum martyres parans, propter Christum, qui in Bethleem natus est Iudee, in civitate David, interfectos secundum Scripturas.

5. Propter quod et Dominus discipulis post resurrectionem dicebat: *O insensati, et tardi corde ad credendum in omnibus quae locuti sunt prophetae! Nonne haec oportebat pati Christum, et introire in*

\*924

<sup>1</sup> Ps. CIX, 1.

<sup>2</sup> Lc. II, 29 ss.

<sup>3</sup> Isa. VIII, 3.

<sup>4</sup> Isa. VIII, 4.

*claritatem suam?*<sup>1</sup> Et iterum ait eis: *Hi sunt sermones, quos locutus sum ad vos, cum adhuc essem vobiscum, quoniam oportet impleri omnia scripta in lege Moysi et prophetis, et psalmis de me. Tunc adaperuit eorum sensum, ut intelligerent Scripturas, et dixit ad eos: Quoniam sic scriptum est, Christum pati, et resurgere a mortuis, et praedicari in nomine eius remissionem peccatorum in omnes gentes.*<sup>2</sup> Hic autem est, qui ex Maria natus est. *Oportet enim, inquit,<sup>3</sup> Filium hominis multa pati, et reprobari, et crucifigi, et die tertio resurgere.* Non ergo alterum filium hominis novit Evangelium, nisi hunc qui ex Maria, qui et passus est; sed neque Christum avolantem ante passionem a Iesu; sed hunc qui natus est, Iesum Christum novit Dei Filium, et eumdem hunc passum resurrexisse, quemadmodum Ioannes Domini discipulis confirmat, dicens: «Haec autem scripta sunt, ut credatis quoniam Iesus est Filius Dei, et ut eridentes vitam aeternam habeatis in nomine eius.<sup>4</sup>

PG  
7, 926

7. Nihil enim incomptum atque intempestivum apud eum, quomodo nec incongruens est apud Patrem. Praecognita sunt enim omnia a Patre, perficiuntur autem a Filio, sicut congruum et consequens est, apto tempore. Propter hoc properante Maria ad admirabile vini signum, et ante tempus volente participare compendii poculo, Dominus repellens eius intempestivam festinationem, dixit: *Quid mihi et tibi est, mulier? Nondum venit hora mea<sup>5</sup>* exspectans eam horam quae est a Patre praecognita.

34

PG  
7, 938

Cap. XIX, 1. Rursus autem qui nude tantum hominem eum dicunt ex Ioseph generatum, perseverantes in servitute pristinae inobedientiae moriuntur; nondum commixti Verbo Dei Patris, neque per Filium percipientes libertatem, quemadmodum ipse ait: *Si Filius vos manumiserit, vere liberi eritis.*<sup>6</sup> Ignorantes autem eum, qui ex Virgine est Emmanuel, privantur munere eius, quod est vita aeterna: non recipientes autem Verbum incorruptionis, perseverant in carne mortali, et sunt debitores mortis, antidotum vitae non accipientes.

35

PG  
7, 940

2. [...] Sed quoniam praeclarum praeter omnes habuit in se eam, quae est ab altissimo Patre, genituram, praeclara autem func-

36

<sup>1</sup> Le. XXIV, 25-26.

<sup>2</sup> Le. XXIV, 44 ss.

<sup>3</sup> Marc. VIII, 31.

<sup>4</sup> Io. XX, 31.

<sup>5</sup> Io. II, 4.

<sup>6</sup> Io. VIII, 36.

● PG 7, 938.

tus est et ea, quae est ex Virgine, generatione; utraque Scripturae divinae de eo testificantur.

- 37 3. [...] Hic igitur Filius Dei Dominus noster, existens Verbum Patris, et filius hominis: quoniam ex Maria, quae ex hominibus habebat genus, quae et ipsa erat homo, habuit secundum hominem generationem, factus est filius hominis. Propter hoc et ipse Dominus dedit nobis signum in profundum, in altitudinem sursum,<sup>1</sup> quod non postulavit homo, quia nec speravit virginem praegnantem fieri posse, quae erat virgo, et parere filium, et hunc partum Deum esse nobiscum.
- 38 Cap. XX, 3. Propter hoc ergo signum salutis nostrae cum, qui ex Virgine Emmanuel, est ipse Dominus: quoniam ipse Dominus erat qui salvabat eos, quia per semetipsos non habebant salvari. Et propter hoc Paulus infirmitatem hominis annuntians, ait: *Scio enim quoniam non habitat in carne mea bonum;*<sup>2</sup> significans, quoniam non a nobis, sed a Deo est bonum salutis nostrae.
- 39 Cap. XXI, 1. Ο Θεὸς οὖν ἀνθρώπος ἐγένετο, καὶ αὐτὸς Κύριος ἔσωσεν ἡμᾶς, δοὺς τὸ τῆς παρθένου σημεῖον.... Ἀλλ' οὐχ ὡς ἔνιοι φασι τῶν νῦν μεθερμηνεύειν τολμῶντων τὴν Γραφήν· «'Ιδού ἡ νεᾶνις ἐν γαστρὶ ἔξει, καὶ τέξεται υἱόν», ὡς Θεοδοτίων ἡρμήνευσεν δὲ Ἐφέσιος, καὶ Ἀκύλας δὲ Ποντικός, ἀμφότεροι Ἰουδαῖοι προσήλυτοι οἵτινες κατακολουθήσαντες οἱ Ἑβραιῶντος, ἔξει Ἰωσὴφ αὐτὸν γεγενῆσθαι φάσκουσιν.
- Cap. XXI, 1. Deus igitur homo factus est, et ipse Dominus salvabit nos, ipse dans Virginis signum. Non ergo vera est quorundam interpretatio, qui ita audent interpretari Scripturam: «Ecce adolescentula in ventre habebit, et pariet filium»; quemadmodum Theodotion Ephesius est interpretatus, et Aquila Ponticus, utrique Iudaei proselyti; quos sectati Ebionei, ex Ioseph generatum eum dicunt: tantam dispositionem Dei dissolventes, quantum ad ipsos est; frustrantes prophetarum testimonium, quod operatus est Deus. Prophetatum est quidem, priusquam in Babylonem fieret populi transmigratio, id est, antequam Medi et Persae acciperent principatum: interpretatum vero in graeco ab ipsis Iudeis multum ante tempora adventus Domini nostri, ut nulla relinquatur suspicio, ne forte morem nobis gerentes Iudei, haec ita sint interpretati. Qui quidem si cognovissent nos futuros, et usuros his testimonii quae sunt ex Scripturis, numquam dubitassent ipsi suas comburere Scripturas, quae et reliquas omnes gentes manifestant participare vitae, et eos qui gloriantur domum se

<sup>1</sup> Isa. VII, 11.

<sup>2</sup> Rom. VII, 18.

\*947 esse Iacob, \* et populum Israel, et exhaereditatos ostendunt a gratia Dei.

PG 7, 950 4. Unus enim et idem Spiritus Dei, qui in prophetis quidem praecognovit, quis et qualis esset adventus Domini, in senioribus autem interpretatus est bene quae bene prophetata fuerant; ipse et in apostolis annuntiavit plenitudinem temporum adoptionis venisse, et proximasse regnum coelorum, et inhabitare intra homines credentes in eum, qui ex Virgine natus est, Emmanuel, quemadmodum ipsi testificantur, quoniam priusquam convenisset Ioseph cum Maria (manente igitur ea in virginitate), *inventa est in utero habens de Spiritu sancto;*<sup>1</sup> et quoniam dixit ei Gabriel angelus: *Spiritus sanctus adveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit te: quapropter quod nasceretur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei;*<sup>2</sup> et quoniam angelus in somnis dixit ad Ioseph: *Hoc autem \* factum est, ut adimpleretur quod dictum est ab Isaia propheta: Ecce virgo in utero concipiet.*<sup>3</sup> Seniores autem sic interpretati sunt dixisse Isaiam: *Et adiecit Dominus loqui ad Achaz: Pete tibi signum a Domino Deo tuo in profundum deorsum, aut in altitudinem sursum. Et dixit Achaz: Non postulabo, nec tentabo Dominum. Et dixit: Non pusillum vobis agonem praebere hominibus, et quemadmodum Dominus praestat agonem? Propter hoc Dominus ipse dabit vobis signum. Ecce virgo in ventre accipiet, et pariet filium, et vocabitis nomen eius Emmanuel. Butyrum et mel manducabit: priusquam cognoscat aut eligat mala, commutabit bonum: quoniam priusquam cognoscat infans bonum vel malum, non consentiet nequitiae, uti eligat bonum.*<sup>4</sup> Diligenter igitur significavit Spiritus sanctus per ea quae dicta sunt, generationem eius, quae est ex Virgine, et substantiam, quoniam Deus (Emmanuel enim nomen hoc significat): et manifestat quoniam homo, in eo quod dicit: «Butyrum et mel manducabit»; et in eo quod infantem nominat eum, et, «priusquam cognoscat bonum et malum»: haec enim omnia signa sunt hominis infantis. Quod autem «non consentiet nequitiae, ut eligat bonum», proprium hoc est Dei, uti non per hoc quod manducabit butyrum et mel, nude solummodo eum hominem intelligeremus, neque rursus per nomen Emmanuel, sine carne eum Deum suspicaremur.

PG 7, 951 \*952 5. Καὶ ἐν τῷ εἰπεῖν· «ἀκούετε δὴ οἶκος \* Δαβὶδ», σημαίνοντος ἦν, δὲν δινέπηγγείλατο τῷ Δαβὶδ ὁ Θεός, ἐκ καρποῦ τῆς κοιλίας αὐτοῦ αἰώ-

5. Et in eo quod dicit: «Audite domus David»; significantis erat, quoniam quem promisit Deus \* David, de fructu ventris

<sup>1</sup> Matth. I, 18.

<sup>2</sup> Lc. I, 35.

<sup>3</sup> Matth. I, 22.

<sup>4</sup> Isa. VII, 10 ss.

νιον ἀναστήσειν βασιλέα, οὗτός ἐστιν  
ἐκ τῆς Δαΐδ παρθένου γενόμενος.

eius aeternum suscitaturum se  
regem, hic est qui ex Virgine  
quae fuit de genere David, ge-  
neratus est.

Propter hoc enim et de fructu ventris eius regem promisit, quod erat proprium Virginis praegnantis; et non de fructu lumborum eius, nec de fructu renum eius, quod est proprium viri generantis, et mulieris ex viro conceptionem facientis. Circumscripsit igitur genitalia viri in promissione Scriptura: imo vero nec commemoratur, quoniam non ex voluntate viri erat, qui nascebat. Statuit autem et confirmavit fructum ventris, ut generationem eius, qui erat futurus ex virginе, pronuntiaret, quemadmodum Elisabeth impleta Spiritu sancto testificata est, dicens ad Mariam: *Benedicta tu inter mulieres, et benedictus fructus ventris tui;*<sup>1</sup> significante Spiritu sancto audire volentibus, repromotionem quam repromisit Deus, de fructu ventris eius suscitare regem, impletam esse in Virginis, hoc est in Mariae partu. Qui igitur transmutant id quod apud Isaiam: «Ecce adolescentula in ventre concipiet»; et Ioseph filium eum volunt esse, illud transmutent quod est repromotionis, quod apud David positum est ubi promisit illi Deus, de fructu ventris eius suscitare cornu, Christi regnum. Sed non intellexerunt: caeterum autem hoc quoque ausi fuissent demutare.

6. Quod autem dixerit Isaias: «In profundum deorsum, vel in altitudinem sursum»; significantis \* fuit, quoniam «qui descendebat, ipse erat et qui ascendebat». In eo autem quod dixerit: «Ipse Dominus dabit signum»; id quod erat inopinatum generationis eius significavit, quod nec factum esset aliter, nisi Deus Dominus omnium Deus ipse dedisset signum in domo David. Quid enim magnum, aut quod signum fieret in eo, quod adolescentula concipiens ex viro peperisset, quod evenit omnibus quae pariunt mulieribus? Sed quoniam inopinata salus hominibus inciperet fieri, Deo adiuvante, inopinatus et partus Virginis fiebat, Deo dante signum hoc, sed non homine operante illud.

42 7. Propter hoc autem et Daniel praevidens eius adventum, lapidem sine manibus abscissum advenisse in hunc mundum (hoc est enim quod *sine manibus*)<sup>2</sup> significabat; quod non operantibus humanis manibus, hoc est, virorum illorum qui solent lapides caedere, in hunc mundum eius adventus erat, id est, non operante in eum Ioseph, sed sola Maria cooperante dispositioni. Hic enim lapis a terra,

\*953

PG  
7, 953

<sup>1</sup> Lc. I, 42.

<sup>2</sup> Dan. II, 34.

ex virtute et arte constat Dei. Propter hoc autem et Isaías ait: *Sic dicit Dominus: Ecce, ego mitto in fundamenta Sion lapidem pretiosum, electum, summum, angularem, honorificum;*<sup>1</sup> uti non ex voluntate viri, sed ex voluntate Dei, adventum eius qui secundum hominem est, intelligamus.

8. Propter hoc autem et Moyses ostendens typum, proiecit virgam in terram,<sup>2</sup> ut ea incarnata omnem Aegyptiorum praevaricationem, quae insurgebat aduersus Dei dispositionem, argueret et absorberet: et ut ipsi Aegyptii testificantur, quoniam digitus est Dei,<sup>3</sup> qui salutem operatur populo, et non Iosephi filius. Si enim Ioseph filius esset, quemadmodum plus poterat quam Salomon,<sup>4</sup> aut plus quam Ionas habere, aut plus esse David,<sup>5</sup> cum esset ex eadem seminazione generatus, et proles existens ipsorum? Ut quid autem et beatum dicebat Petrum, quod eum cognosceret esse Filium Dei vivi?<sup>6</sup>

\*954 \* 9. Super haec autem nec rex esse posset, si quidem Ioseph filius fuisset; nec haeres, secundum Ieremiam. Ioseph enim Ioachim et Iechoniae filius ostenditur, quemadmodum et Mattheus generationem eius exponit. Iechonias autem, et qui ab eo, omnes abdicati sunt a regno, Ieremia dicente sic: *Vivo ego, dicit Dominus, si factus fuerit Iechonias filius Ioachim, rex Iuda, signaculum in manu dextera mea, inde abraham eum, et tradam eum in manu quaerentium animam tuam.*<sup>7</sup> Et iterum: *Inhonoratus est Iechonias, quemadmodum vas quod non est opus, quoniam projectus est in terram, quam non sciebat. Terra, audi sermonem Domini: scribe virum hunc abdicatum hominem, quoniam non augebit de semine eius sedens super thronum David, princeps in Iuda.*<sup>8</sup> Et iterum Deus ait super Ioachim patrem eius: *Propter hoc sic dicit Dominus super Ioachim patrem eius, regem Iudeae: Non enim erit ex eo sedens super thronum David, et mortificatum eius erit projectum in aestu diei, et in glacie noctis, et respiciam super eum, et super filios eius, et inferam super eos, et super inhabitantes Ierusalem, super terram Iuda, omnia mala, quae locutus sum super eos.*<sup>9</sup> Qui ergo eum dicunt ex Ioseph generatum, et in eo ha-

<sup>1</sup> Isa. XXVIII, 16.

<sup>2</sup> Exod. VII, 9 ss.

<sup>3</sup> Exod. VIII, 19.

<sup>4</sup> Matth. XII, 42.

<sup>5</sup> Matth. XXII, 43.

<sup>6</sup> Matth. XVI, 17.

<sup>7</sup> Ierem. XXII, 24-25.

<sup>8</sup> Ierem. XXII, 28 ss.

<sup>9</sup> Ierem. XXXVI, 30, 31.

bere spem, abdicatos se faciunt a regno, sub maledictione et increpatione decidentes, quae erga Iechoniam et in semen eius. Propter hoc enim dicta sunt haec de Iechonia, spiritu praesciente ea quae a malis doctoribus dicuntur: uti discant, quoniam ex semine eius, id est ex Ioseph, non erit natus, sed secundum reprobationem Dei de ventre David suscitatur rex aeternus, qui recapitulatur omnia in se, et antiquam plasmationem in se recapitulatus est.

- 43** 10. Quia quemadmodum per inobedientiam unius hominis introitum peccatum habuit, et per peccatum mors obtinuit; sic et per obedientiam unius hominis iustitia introducta vitam fructificet his, qui olim mortui erant, hominibus. Et quemadmodum protoplastus ille Adam de rudi terra, et de adhuc virgine (« nondum enim pluerat Deus, et homo \* non erat operatus terram »)<sup>1</sup> habuit substantiam; et plasmatus est manu Dei, id est Verbo Dei (*omnia enim per ipsum facta sunt*),<sup>2</sup> et sumpsit Dominus limum a terra, et plasmavit hominem:<sup>3</sup> ita recapitulans in se Adam, ipse Verbum existens ex Maria, quae adhuc erat virgo, recte accipiebat generationem Adae recapitulationis.

Εἰ τοίνυν ὁ πρῶτος Ἀδὰμ ἔσχε πατέρα ἄνθρωπον, καὶ ἐξ ἀνδρὸς σπέρματος ἐγεννήθη, εἰκός ἦν καὶ τὸν δεύτερον Ἀδὰμ λέγειν ἐξ Ἰωσῆφ γεγεννῆσθαι: εἰ δὲ ἐκεῖνος ἐκ γῆς ἐλήφθη, πλάστης δὲ αὐτοῦ ὁ Θεός, ἔδει καὶ τὸν ἀνακεφαλαιούμενον εἰς αὐτόν, ὑπὸ τοῦ Θεοῦ πεπλασμένον ἄνθρωπον, τὴν αὐτὴν ἐκείνῳ τῆς γεννήσεως ἔχειν ὅμοιότητα. Εἰς τί οὖν πάλιν οὐκ ἔλαβε χοῦν ὁ Θεός, ἀλλ’ ἐκ Μαρίας ἐνήργησε τὴν πλάσιν γενέσθαι; "Ινα μὴ ἄλλη πλάσις γένηται, μηδὲ ἄλλο τὸ σωζόμενον, ἀλλ’ αὐτὸς ἐκεῖνος ἀνακεφαλαιωθῇ, τηρουμένης τῆς ὅμοιότητος.

Si igitur primus Adam habuit patrem hominem, et ex semine viri natus est; merito dicerent, et secundum Adam ex Ioseph esse generatum. Si autem ille de terra quidem sumptus est, et Verbo Dei plasmatus est, oportebat id ipsum Verbum recapitulationem Adae in semetipsum faciens, eiusdem generationis habere similitudinem. Quare igitur non iterum sumpsit limum Deus, sed ex Maria operatus est plasmationem fieri? Ut non alia plasmatio quae salvaretur, sed eadem ipsa recapitularetur, servata similitudine.

- 44** Cap. XXII, 1. Ἄγαν οὖν

Cap. XXII, 1. Errant igit- PG  
7, 955

<sup>1</sup> Gen. II, 5.

<sup>2</sup> Io. I, 3.

<sup>3</sup> Gen. II, 7.

\*959

πίπτουσι καὶ οἱ λέγοντες, αὐτὸν μηδὲν εἰληφέναι ἐκ τῆς Παρθένου, ἵνα  
ἐκδάλωσι τὴν \* τῆς σαρκὸς κληρονομίαν, καὶ ἀποδάλωνται τὴν ὄμοιό-  
τητα.

Si enim ille quidem de terra, et manu et artificio Dei plasmationem et substantiam habuit, hic autem non manu et artificio Dei; iam non servavit similitudinem hominis, qui factus est secundum imaginem ipsius et similitudinem, et inconstans artificium videbitur, non habens circa quod ostendat sapientiam suam. Hoc autem dicere est, et putative apparuisse eum tanquam hominem, cum non esset homo: et factum eum hominem, nihil assumentem de homine. Si enim non accepit ab homine substantiam carnis, neque homo factus est, neque filius hominis: et si hoc non factus est, quod nos eramus, non magnum faciebat, quod passus est et sustinuit. Nos autem quoniam corpus sumus de terra acceptum, et anima accipiens a Deo spiritum, omnis quicunque confitebitur. Hoc itaque factum est Verbum Dei, suum plasma in semetipsum recapitulans: et propter hoc filium hominis se confitetur, et beatificat mites, quoniam ipsi haereditabunt terram.<sup>1</sup> Et apostolus autem Paulus in ea Epistola, quae est ad Galatas, manifeste ait: *Misit Deus Filium suum, factum de muliere.*<sup>2</sup> Et rursus in ea quae est ad Romanos: *De Filio autem, inquit, eius, qui factus est ex semine David secundum carnem, qui praedestinatus est Filius Dei in virtute, secundum Spiritum sanctificationis, ex resurrectione mortuorum, Iesu Christi Domini nostri.*<sup>3</sup>

2. Ἐπεὶ περισσὴ καὶ ἡ εἰς τὴν Μαρίαν αὐτοῦ κάθιδος. Τί γάρ καὶ εἰς αὐτὴν κατήει, εἰ μηδὲν ἔμελλε λήψεσθαι παρ’ αὐτῆς; "Ἐπι τε εἰ μηδὲν εἰλήφει παρὰ τῆς Μαρίας, οὐκ αὐτὰς ἀπὸ γῆς εἰλημμένας προσίετο \* τροφάς, δι’ ἀν τὸ ἀπὸ γῆς ληφθὲν τρέφεται σῶμα· οὐδ’ ἀν εἰς τεσσαράκοντα ἡμέρας, ὅμοιως ὡς Μωϋσῆς καὶ Ἡλίας, νηστεύσας ἐπείνησε, τοῦ σώματος ἐπιζητοῦντος τὴν ἰδίαν τροφὴν· οὐδ’ ἀν Ἰωάννης ὁ μαθητὴς αὐτοῦ περὶ αὐτοῦ γράφων εἰρήκει· «'Ο

tur qui dicunt, cum nihil ex Virgine accepisse, ut abiiciant carnis haereditatem, \* abiiciant autem et similitudinem.

2. Caeterum supervacua est in Mariam descensio eius. Quid enim in eam descendebat, si nihil incipiebat sumere ab ea? Aut si nihil sumpsisset ex Maria, numquam eas, quae a terra erant, percepisset \* escas, per quas id, quod a terra sumptum est, nutritur corpus: nec quadraginta diebus, quemadmodum Moyses et Elias, ieiunans esurisset corpus eius, suam quaerens escam: sed nec Ioan-

<sup>1</sup> Matth. V, 4.

<sup>2</sup> Galat. IV, 4.

<sup>3</sup> Rom. I, 3-4.

δὲ Ἰησοῦς κεκοπιακῶς ἐκ τῆς ὁδοιπορίας, ἐκαθέζετο ». οὐδὲ ἀν δ Δαβὶδ προκαναπεφωνήκει περὶ αὐτοῦ. « Καὶ ἐπὶ τὸ ἄλγος τῶν τραυμάτων μου προσέθηκαν ». οὐδὲ ἀν ἐδάκρυσεν ἐπὶ τοῦ Λαζάρου. οὐδὲ ἀν ἰδρωσες θρόβδους αἴματος. οὐδὲ ἀν εἰρήκει, διὰ « Περίλυπός ἔστιν ἡ ψυχὴ μου ». οὐδὲ ἀν νυχείσης αὐτοῦ τῆς πλευρᾶς, ἔξηγέθεν αἷμα \* καὶ ὄδωρ. Ταῦτα γάρ πάντα σύμβολα σαρκός, τῆς ἀπὸ γῆς εἰλημένης, ἦν εἰς αὐτὸν ἀνεκεφαλαιώσατο, τὸ ἕδιον πλάσμα σώζων.

nes discipulus eius de eo scribens dixisset: *Iesus autem fatigatus in itinere sedebat;*<sup>1</sup> nec David praeclamasset in eum: *Et super dolorem vulnerum meorum apposuerunt,*<sup>2</sup> nec lacrymasset super Lazarum; nec sudasset globos sanguinis; nec dixisset: *Tristis est anima mea:*<sup>3</sup> nec percusso latere exisset sanguis et aqua. Haec enim omnia \* si-  
gnata carnis, quae a terra sumpta est, quam in se recapitulatus est, suum plasma salvans. \*958

- 45 4. Consequenter autem et Maria virgo obediens invenitur, dicens: *Ecce ancilla tua, Domine, fiat mihi secundum verbum tuum.*<sup>4</sup> PG 7, 958 Eva vero inobediens: non obedivit enim, adhuc cum esset virgo. Quemadmodum illa virum quidem habens Adam, virgo tamen adhuc existens (*erant enim utrique nudi* in paradiſo, *et non confundebantur*,<sup>5</sup> quoniam paulo ante facti, non intellectum \* habebant filiorum generationis; oportebat enim illos primo adolescere dehinc sic multiplicari) inobediens facta, et sibi, et universo generi humano causa facta est mortis: sic et Maria habens praedestinatum virum, et tamen virgo, obediens, et sibi, et universo generi humano causa facta est salutis. Et propter hoc lex eam, quae despontata erat viro, licet virgo sit adhuc, uxorem eius, qui despontaverat, vocat;<sup>6</sup> eam quae est a Maria in Evam recirculationem significans: quia non aliter quod colligatum est solveretur, nisi ipsae compagines alligationis reflectantur retrorsus; ut primae coniunctiones solvantur per secundas, secundae rursus liberent primas. Et evenit primam quidem compaginem a secunda colligatione solvere, secundam vero colligationem primae solutionis habere locum.<sup>7</sup> Et propter hoc Dominus dicebat, primos quidem novissimos futuros, et novissimos primos. Et Propheta autem hoc idem significat, dicens: *Pro patribus nati* \*959

<sup>1</sup> Io. IV 6.

<sup>2</sup> Ps. LXVIII, 27.

<sup>3</sup> Matth. XXVI, 38.

<sup>4</sup> Lc. I, 38.

<sup>5</sup> Gen. II, 25.

<sup>6</sup> Gen. III, 8, 17, 20, 21.

<sup>7</sup> Matth. XIX, 30; XX, 16.

*sunt tibi filii.*<sup>1</sup> *Primogenitus enim mortuorum natus Dominus,*<sup>2</sup> et in sinum suum recipiens pristinos patres, regeneravit eos in vitam Dei, ipse initium viventium factus, quoniam Adam initium morientium factus est. Propter hoc et Lucas initium generationis a Domino inchoans, in Adam retulit, significans, quoniam non illi hunc, sed hic illos in Evangelium vitae regeneravit. Sic autem et Eva inobedientiae nodus solutionem accepit per obedientiam Mariae. Quod enim alligavit virgo Eva per incredulitatem, hoc \* virgo Maria solvit per fidem.

\*960

PG  
7, 964

Cap. **XXIII**, 7. Quapropter inimicitiam posuit inter serpentinum et mulierem, et semen eius, observante invicem: illo quidem cui morderetur planta, et potente, calcare caput inimici; altero vero mordente, et occidente et interpediente, ingressus hominis, quo adusque venit semen praedestinatum calcare caput eius, quod fuit partus Mariae.

46

PG  
7, 1048

Lib. IV, cap. **XXIII**, 1. Et propter hoc Ioseph, cum cognovisset quod praegnans esset Maria, et cogitaret absconse dimittere eam, angelus in somnis dixit ad eum: *Ne timueris assumere Mariam coniugem tuam; quod enim habet in ventre, ex Spiritu sancto est. Pariet autem filium, et vocabis nomen eius Iesum: ipse enim salvabit populum suum a peccatis eorum.*<sup>3</sup> Et adiecit suadens ei: «Hoc autem totum factum est, ut adimpleretur quod dictum est a Domino per prophetam dicentem: *Ecce virgo in utero accipiet, et pariet filium, et vocabitur nomen eius Emmanuel;*<sup>4</sup> per sermones prophetae suadens ei, et excusans Mariam: hanc eamdem esse ostendens, quae ab Isaia esset praenuntiata virgo, quae generaret Emmanuel. Quapropter sine dubitatione suasus Ioseph, et Mariam accepit, et in reliqua universa educatione Christi gaudens obsequium praestitit, usque in Aegyptum suscipiens profectionem, et inde regressum, et in Nazareth transmigrationem. Denique qui ignorabant Scripturas, et repromotionem Dei, et dispositionem Christi, patrem eum vocabant pueri.

47

PG  
7, 1080

Cap. **XXXIII**, 11. Qui eum ex Virgine Emmanuel praedicabant, adiunctionem Verbi ad plasma eius manifestabant; quoniam Verbum caro erit, et Filius Dei filius hominis (purus pure puram aperiens vulvam, eam quae regenerat homines in Deum, quam ipse puram fecit), et hoc factus quod et nos, Deus fortis est, et inenarrabile habet genus.

48

<sup>1</sup> Ps. XLIV, 17.<sup>2</sup> Col. I, 18.<sup>3</sup> Matth. I, 20-21.<sup>4</sup> Matth. I, 22-23.

Lib. V, cap. I, 2. Vani enim sunt qui putative dicunt eum apparuisse.

49     Οὐ γάρ δοκήσει ταῦτα, ἀλλ' ἐν ὑποστάσει ἀληθείας ἔγίνετο. Εἰ δὲ μὴ ὅν ἄνθρωπος, ἐφαίνετο ἄνθρωπος, οὕτε δὴ ἐπ' ἀληθείας, ἔμεινε, Πνεῦμα Θεοῦ, ἐπεὶ ἀράτον τὸ Πνεῦμα· οὔτε ἀλήθειά τις ἦν ἐν αὐτῷ, οὐ γάρ ἦν ἐκεῖνα ἅπερ ἐφαίνετο. Προείπομεν δέ, δτὶ Ἀδραάμ, καὶ οἱ λοιποὶ προφῆται προφητικῶς αὐτὸν ἔθλεπον, τὸ μέλλον ἔσεσθαι δι' ὅψεως προφητεύοντες. Εἰ οὖν καὶ νῦν τοιοῦτος ἐφάνη, μὴ ὅν ὅπερ ἐφαίνετο, προφητικὴ τις ὁπτασίᾳ γέγονε τοῖς ἀνθρώποις, καὶ δεῖ καὶ ἀλληγ ἐκδέχεσθαι παρουσίαν αὐτοῦ, ἐν ᾧ τοιοῦτος ἔσται, οἷος νῦν ὁρᾶται προφητικῶς. Ἀπεδείξαμεν δέ, δτὶ τὸ αὐτό ἐστι, δοκήσει λέγειν πεφρηνέναι, καὶ οὐδὲν ἐκ τῆς Μαρίας εἰληφέναι. Οὐδὲ γάρ ἦν ἀληθῶς σάρκα καὶ αἷμα ἐσκηκώς, δι' ὃν ἡμᾶς ἐξηγοράσατο, εἰ μὴ τὴν ἀρχαῖαν πλάσιν τοῦ Ἀδάμ εἰς ἐσυτὸν ἀνεκεφαλαιώσατο. Μάταιοι οὖν οἱ ἀπὸ Βαλεντίνου, τοῦτο διγματίζοντες, ἵνα ἐκβάλωσι τὴν ζωὴν τῆς σαρκός.

50     3. Vani autem et Ebionaei, unitiōnē Dei et hominis per fidem non recipentes in suam animam, sed in veteri generationis perseverantes fermento, neque intelligere volentes, quoniam Spiritus sanctus advenit in Mariam, et virtus Altissimi obumbravit eam; quapropter et quod generatum est, sanetum est, et Filius Altissimi Dei Patris omnium, qui operatus est incarnationem eius, et novam ostendit generationem; uti quemadmodum per priorem generationem mortem \* haereditavimus, sic per generationem hanc haereditaremus vitam.

Non enim putative haec, sed <sup>PG 7, 1122</sup> in substantia veritatis fiebant. Si autem, cum homo non esset, apparebat homo; neque, quod erat vere, perseveravit, Spiritus Dei, quoniam invisibilis est Spiritus: neque veritas quaedam erat in eo; non enim illud erat quod videbatur. Praediximus autem, quoniam Abraham et reliqui prophetae prophetice videbant eum; id, quod futurum erat, per visionem prophetantes. Si igitur et nunc talis apparuit, non exsistens quod videbatur, quaedam prophetica visio facta est hominibus, et oportet alium exspectare adventum eius, in quo talis erit, qualis nunc visus est prophetice. Ostendimus autem, quoniam idem est, putative dicere eum visum, et nihil ex Maria accepisse. Neque enim esset vere sanguinem et carnem habens, per quam nos redemit, nisi antiquam plasmationem Adae in semetipsum recapitulasset. Vani igitur qui a Valentino sunt, hoc dogmatizantes, uti excludant salutem carnis, et reprobent plasmationem Dei.

<sup>PG 7, 1122</sup>

\*1123

<sup>PG  
7, 1175</sup> Cap. XIX, 1. Manifeste itaque in sua propria venientem Dominum, et sua propria eum baiulante conditione, quae baiulatur ab ipso, et recapitulationem eius, quae in ligno fuit inobedientiae, per eam quae in ligno est obedientiam, facientem, et seductionem illam solutam, qua seducta est male illa, quae iam viro destinata erat virgo Eva, per veritatem evangelizata est bene ab angelo iam sub viro Virgo Maria. Quemadmodum enim illa per angeli sermonem seducta est, ut effugeret Deum, praevericata verbum eius; ita et haec per angelicum sermonem evangelizata est, ut portaret Deum, obediens eius verbo. Et si ea inobedierat Deo; sed haec suasa est obedere Deo, uti virginis Evae Virgo Maria fieret advocata. Et quemadmodum astrictum est morti genus humanum per virginem, salvatur per Virginem: aequa lance disposita, virginalis inobedientia, per virginalem obedientiam. \* Adhuc enim protoplasti peccatum per correptionem primogeniti emendationem accipiens, et serpentis prudentia devicta in columbae simplicitate, vinculis autem illis resolutis, per quae alligati eramus morti.

\*1176

2. Indocti omnes haeretici, et ignorantes dispositiones Dei, et inscii eius, quae est secundum hominem, dispositionis, quippe caecutientes circa veritatem, ipsi suae contradicunt saluti: alii quidem alterum introducentes, praeter Demiurgum, Patrem; alii autem ab angelis quibusdam dicentes factum esse mundum et substantiam eius; alii quidam porro et longe separatam ab eo, qui est secundum ipsos Patre, a semetipsa floruisse, et esse ex se natam; alii autem in his quae continentur a Patre, de labe et ignorantia substantiam habuisse; alii autem manifestum adventum Domini contemnunt, incarnationem eius non recipientes; alii autem rursus ignorantes Virginis dispensationem, ex Ioseph dicunt eum generatum; et quidam quidem neque animam, neque corpus recipere posse dicunt aeternam vitam, sed tantum hominem interiorem.

<sup>PG  
7, 1179</sup>

Cap. XXI, 1. Omnia ergo recapitulans recapitulatus est, et aduersus inimicum nostrum bellum provocans, et elidens eum, qui in initio in Adam captivos duxerat nos, et calcans eius caput, quemadmodum habes in Genesi dixisse serpenti Deum: *Et inimicitiam ponam inter te, et inter mulierem, et inter semen tuum, et semen eius; ipse tuum observabit caput, et tu observabis eius calcaneum.*<sup>1</sup> Ex eo enim, qui ex muliere Virgine habebat nasci secundum similitudinem Adam, praeconabatur observans caput serpentis. Et hoc est semen, de quo ait Apostolus in Epistola quae est ad Galatas: *Legem facto-*

<sup>1</sup> Gen. III, 15.

*rum positam, donec veniret semen, cui promissum est.<sup>1</sup>* Manifestius autem adhuc in eadem ostendit Epistola, sic dicens: *Cum autem venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum, factum de muliere.<sup>2</sup>* Neque enim iuste victus fuisset inimicus, nisi ex muliere homo esset, qui vicit eum. Per mulierem enim homini dominatus est ab initio, semetipsum contrarium statuens homini. Propter hoc et Dominus semetipsum Filium hominis confitetur, principalem hominem illum, ex quo ea quae secundum mulierem est plasmatio, facta est, in semetipsum recapitulans: uti quemadmodum per hominem victimum descendit in mortem genus nostrum, sic iterum per hominem victorem ascendamus in vitam. Et quemadmodum accepit palmam mors per hominem adversus nos, sic iterum nos adversus mortem per hominem accipiamus palmam.

#### DEMONSTRATIO APOSTOLICAE PRAEDICATIONIS

53     32. Unde est ergo primi creati substantia? E voluntate et sapientia Dei et e virginea terra. *Nam non pluerat Deus,* dicit Scriptura, *priusquam homo fieret, neque homo erat, qui operaretur terram.<sup>3</sup>* Ex ea igitur, dum virginea esset (adhuc), sumpsit Deus pulverem terrae et plasmavit hominem,<sup>4</sup> principium generis humani. Ergo hunc hominem rursus perficiendo Dominus \*eandem illi incarnationis assumpsit dispensationem e virginе natus per voluntatem et sapientiam Dei, ut et ipse Adami similitudinem incarnationis ostenderet et [ut] fieret scriptus in principio homo secundum imaginem et similitudinem Dei.<sup>5</sup>

DAP 58

\*59

33. Et quomodo per virginem, quae non oboediebat, percussus est homo et lapsus mortuus est,<sup>6</sup> eo modo et per virginem, quae oboedivit verbo Dei, in rursus excitato homine vita accepit vitam. Nam venit Dominus, ut perditam ovem iterum<sup>7</sup> quaereret, et perditus erat homo. Et propter hoc alia creatura aliqua non factus est, sed ab eadem, quae ab Adam genus habebat, similitudinem creaturae servavit; nam necesse et \* dignum erat, rursus perficere Adam in Christo, ut submersum absorberetur mortale ab immortalitate, et Evam [perficere] in Maria, ut virgo virginis advocata facta sol-

\*60

<sup>1</sup> Gal. III, 19.

<sup>2</sup> Gal. IV, 4.

<sup>3</sup> Gen. II, 5.

<sup>4</sup> Gen. II, 7.

<sup>5</sup> Gen. I, 26 ss.

<sup>6</sup> Gen. III, 6, 16; IV, 1.

<sup>7</sup> Matth. XV, 24; XVIII, 12. Lc. XV, 6.

veret et destrueret virgineam inobedientiam per virginem obsequium.

DAP 62 35. Itaque implevit et Abrahae factam recompromissionem, quam recompromisit ei Deus, se facturum esse semen eius sicut stellas caeli,<sup>1</sup> nam hoc fecit Christus ex illa, quae ab Abraham genus habebat, virgine natus et luminaria in mundo constituens<sup>2</sup> credentes in eum, per eamdem fidem atque Abrahae iustificans gentes.<sup>3</sup> [...]

DAP 62 \*63 36. Etiam implevit Davidi recompromissionem, nam recompromisit ei Deus e fructu ventre eius se suscitaturum \*esse Regem sempiternum, cuius regni finis non erit.<sup>4</sup> Et Rex hic Christus Filius Dei, filius hominis factus,<sup>5</sup> id ipsum est, ex ea, quae a David genus habebat, virgine fecunditas factus. Et propter hoc *a fructu ventre* recompromissio facta est, quae est seorsum mulieris conceptionis nativitas, neque a fructu lumborum neque a fructu renum, quae est seorsum [ipsius] viri nativitas (seu generatio), ut [tamquam] seorsum sola et propria [facta] haec, quae a Davide [exorti] virginei ventris fecunditas esset, manifestaretur, [ille] qui Rex erat super domum David sempiternus, cuius regni finis non erit.<sup>6</sup>

DAP 66 39. [...] Primonatus (primogenitus) cogitationis Patris, Verbum, perficiens [erat] unumquodque gubernando et leges ferendo, ipsum super terram, quod unigenitus erat virginis. [...]

DAP 66 \*67 40. [...] Qui praedicatus est a lege per Moysen et prophetas Dei excelsi<sup>7</sup> et omnipotentis, Filius Patris cunctorum, a quo unumquodque [factum est], qui locutus est cum Moyse, hic venit in Iudeam satus a Deo per Spiritum Sanctum, \* et natus a virgine Maria illa, quae e semine David<sup>8</sup> et Abrahae, Iesus unctus Dei,<sup>9</sup> ostendendo ipsum esse [illum] prius praedicatum per prophetas.<sup>10</sup>

DAP 79 53. Et quod Christus hic, qui erat apud Patrem, Verbum essendo Patris, rursus erat incarnandus et homo qui fieri, et processum (!) nativitatis qui subire debebat, et nascendus e virgine et, qui ambulare debebat cum hominibus, cum Pater cunctorum etiam operaretur incarnationem eius, Isaias hoc modo dicit: *Propter hoc dabit*

<sup>1</sup> Gen. XV, 5.

<sup>2</sup> Phil. II, 15.

<sup>3</sup> Rom. III, 28 ss.; Gal. III, 8.

<sup>4</sup> II Reg. VII, 12.

<sup>5</sup> Hebr. I, 5.

<sup>6</sup> Lc. I, 33.

<sup>7</sup> Ps. LXXII, 1.

<sup>8</sup> Rom. I, 3.

<sup>9</sup> II Tim. II, 8.

<sup>10</sup> Lc. IX, 20.

*Deus ipse tibi signum. Ecce virgo (tua) concipiet et pariet filium et vocabis eum Emanuel; butyrum et mel comedet; priusquam cognoscat (is) vel etiam distinguat malum, eligit bonum. Quia, antequam cognoscat puer bonum vel malum, improbat malitias, ut eligat bonum.<sup>1</sup>* Et quod nasceretur a virginie, annuntiat et quod vere homo [sit] per manducare eius praeparans animadvertisit; et [propterea] quod puerum eum vocat, verum etiam [propterea] quod nomen ei imponit.

81        54. [...] *Nam ecce*, inquit, *virgo concipiet et pariet filium* et hic, Deus exsistendo,<sup>2</sup> nobiscum futurum est, ut sit; et tamquam admirando simul de rebus etiam annuntiat futura, *quod nobiscum erit Deus*. Et de nativitate etiam eius dicit alio loco idem propheta: *Priusquam illa, quae parturit, pareret, et priusquam advenirent dolores partus, liberatus (est [et]) evasit masculus*;<sup>3</sup> inexspectatum et inopinatum per virginem partum eius annuntiavit. Et iterum idem propheta dicit: *Filius natus est nobis et parvulus datus est nobis. Et vocatum est nomen eius admirabilis, consiliarius, Deus fortis.*<sup>4</sup>

59        57. [...] Ipse Dominus dedit virginis signum, id ipsum est eum, qui e virginie, Emanuel, qui etiam laetos reddit bibentes se, id ipsum est, qui accipiunt Spiritum eius, gaudium sempiternum. DAP  
84

60        59. Iam et alia etiam ipse Isaías: *Et procedet virga e radicibus Iesse et flos e radice procedet.*<sup>5</sup> [...] \* Per haec [verba] ab ea, quae genus habet a Davide et Abraha, dicit eum nasci. Quoniam Iesse progenies erat Abrahae et pater Davidis, progenies, quae concepit Christum. Virgo facta est igitur virga; et propter hoc et Moyses virga virtutes Pharaoni ostendebat.<sup>6</sup> Et apud alios etiam e hominibus potestatis signum est virga (ista). Et *florem* dicit corpus eius, quod a Spiritu factum est, ut pullularet, sicut prius diximus. DAP  
85  
\*86

61        63. Et iterum dicit propheta Michæas etiam locum, ubi futurum erat Christus ut nasceretur, quia in Bethlehem Iudeæe<sup>7</sup> [...] DAP  
90

Patria est Bethlehem Davidis,<sup>8</sup> ita ut non solum secundum virginem, quae peperit eum, e semine sit Davidis, sed etiam secundum illud quod in Bethlehem<sup>9</sup> patria Davidis natus (factus) est.

<sup>1</sup> Isa. VII, 14-16.

<sup>2</sup> Cf. Philipp. II, 6.

<sup>3</sup> Isa. LXVI, 7.

<sup>4</sup> Isa. IX, 6.

<sup>5</sup> Isa. XI, 1.

<sup>6</sup> Exod. IV, 2 sqq.

<sup>7</sup> Mich. V, 2.

<sup>8</sup> I Reg. XVI, 4-13.

<sup>9</sup> Matth. II, 1; Lc. II, 4.

## FRAGMENTUM

<sup>PG 7, 1245</sup> XXXII. Νῦν δέ, « ὡσπερ διὰ τῆς παρακοῆς τοῦ ἐνὸς ἀνθρώπου », τοῦ πρώτως ἐκ γῆς ἀνεργάστου πεπλασμένου, « ἀμαρτωλοὶ κατέστησαν οἱ πολλοί », καὶ ἀπέβαλον τὴν ζωήν « οὔτως » ἔδει καὶ « δι' ὑπακοῆς ἐνὸς ἀνθρώπου », τοῦ πρώτως ἐκ Παρθένου γεγεννημένου, « δικαιωθῆναι πολλούς », καὶ ἀπολαβεῖν τὴν σωτηρίαν.

CLEMENS Alexandrinus (ca 150 † ca 214)

## PAEDAGOGUS

<sup>PG 8, 300</sup> Lib. I, cap. VI. [...] 'Αλλ' αἱ μὲν γυναικες αἱ κύουσαι, μητέρες γενόμεναι, πηγάζουσι γάλα· δὲ Κύριος ὁ Χριστός, ὁ τῆς Παρθένου καρπός, οὐκ ἐμακάρισε τοὺς γυναικείους μαστούς, οὐδὲ ἔκρινεν αὐτοὺς τροφεῖς· ἀλλὰ τοῦ φιλοστόργου καὶ φιλανθρώπου Πατρὸς ἐπομβρήσαντος τὸν Λόγον, αὐτὸς ἥδη τροφὴ γέγονε πνευματικὴ τοῖς σώφροσιν. "Ω θαύματος μυστικοῦ! εἰς μὲν ὁ τῶν ὅλων Πατήρ εἰς δὲ καὶ ὁ τῶν ὅλων Λόγος· καὶ τὸ Πνεῦμα τὸ ἄγιον ἐν, καὶ τὸ αὐτὸ πανταχοῦ· μία δὲ μόνη γάρ μήτηρ παρθένος· Ἐκκλησίαν ἐμοὶ φίλην αὐτὴν καλεῖν. Γάλα οὐκ ἔσχεν ἡ μήτηρ αὕτη μόνη, ὅτι μόνη μὴ γέγονεν γυνὴ· παρθέ-

<sup>PG 7, 1246</sup> XXXII. Iam vero, *sicut per inobedientiam unius hominis*, qui primum ex rudi terra formatus est, *peccatores constituti sunt multi*, et vitam amiserunt: *sic oportebat et per obediem unius hominis*, qui primum ex Virgine genitus est, *iustos constitui multos*<sup>1</sup> et accipere salutem.

<sup>PG 8, 299</sup> Lib. I, cap. VI. [...] Caeterum mulieres quidem praegnantes, cum matres factae fuerint, lac emitunt. Dominus autem Christus, fructus Virginis, non beata duxit ubera feminea, nec ea ad nutrimentum delegit; sed cum amans et benignus Pater Verbum impliusset, ipsum iam spiritale alimentum factum est bonis hominibus. O miraculum mysticum! Unus quidem est universorum Pater. Unum est etiam Verbum universorum, et Spiritus sanctus unus, et ipse est ubique. Una autem sola est mater virgo; mihi autem placet eam vocare Ecclesiam. Lac non habuit mater haec sola, quoniam sola non fuit mulier. Virgo est autem simul, et mater; integra quidem

<sup>1</sup> Rom. V, 19.

• PG 7, 514, 620, 680, 701, 702, 856, 915, 925, 933, 990, 991, 998, 1075, 1114, 1192.